

Triplicis cognomen adjectum esset, potuit ejus rei alia fuisse, quam quæ Dionysio assignata est, causa; facile id nominis inditum ex calore, luce, & discretione temporum, vel si mavis, ex sapientia, virtute, & charitate Numinis, &c.

Antequam ultimum Dissertationi modum imponamus, pauca de origine horologiorum differenda sunt, sicut & de ratione horas supputandi; quod Authoris Vulgatæ interpretationem vindicemus, reddentis eo loco *Horologium Achaz*, sicut & pro gradibus nomen *linearum* substituentis. Non desunt enim Viri alioquin doctissimi (g), sustinentes horologia, sicut & diei horas, nulla fuisse Hebræis ante captivitatem; quorum sanè Hypothesis omnia evertit, quæ hucusque à nobis de horologio Solari Achaz disputata sunt. Fatentur quidem longo temporis spatio nullas fuisse Hebræis voces peculiare horologiis designandis; sicut & nomen horas exprimens desiderari in Libris, qui adhuc extant, Hebræicè scriptis ante captivitatem Babylonicam. Sed hæc, tanta non sunt, quæ latuisse Hebræos horologia demonstrant; sicut neque ignotum fuisse genti usum distinguendi horas per lineas, si vè gradus, quod in historia prodigii sub Ezechia legimus. Tobias Ninive scribebat sub Manasse Rege Juda, in cujus exemplari Chaldaicè scripto, quod ad manus habebat S. Hieronymus, disertè horarum nomen exprimitur cap. 1. 22. *Prostrati per tres horas*. Unanimis est etiam veterum, & novorum Interpretum sententia, lineas in horologio Achaz horas designasse, quorum opinio historiarum monumentis abundè fulcitur.

Nihil hic moror Appionis testimonium tradentis: *Moyser, ut accepi, Heliopolitani erat, qui patriis institutus moribus, subdiveles precesiones ad Septa, qualia Civitas habebat, reduxit, ad Subsolanum autem omnia convertebat. Ita enim Heliopolis sita est. Pro obeliscis verd statuit columnas, sub quibus ceu pelvis forma exprimebatur. Super columnam figura hominis posita eundem semper cum Sole cursum circumvolvabat (b)*; nempe, quantum conjicio, umbra figuræ supra stilum constitutæ Solis circumversioem observabat in subiectam pelvim incidens, ita facile varias diei horas distinguerebat. Alioquin quid opus fuisset figuram statuere super columnam unâ cum Sole gyram? Opus non est impræsentiarum, adversarium istum Judæorum refutemus, cum satis inter omnes conveniat, nihil tale Moysem umquam statuisse, neque Judæis positum in moribus, ut subsolanas precesiones observarent; atque ejusdem Legislatoris ætate, & diu etiam post nullas fuisse Judæis certas horas, & horologia, quemadmodum ex Libris ab eo scriptis ejusque legibus certo certius intelligimus.

Ægyptii jactabundi semper, & nullum lapidem non moventes, quod vetustatis, & scientiæ suæ famam auferent, contendunt, jam inde à remotissima ætate horologia fuisse in suâ regione familiaria. Erat,

inquit, Achante, urbe ad Nilum, vas quoddam ingens, quod singulis diebus aquâ opplebatur, ejusque certo, & uniformi defluxu variæ diei horæ distinguebantur (i). Ad eam normam postea fabricata sunt apud Græcos, & Romanos Clepsydæ, usu deinde familiarissimæ. Horæ nomen à Deo Horo, quod Solis est, derivant; ac tandem apud Ciceronem sermo est de Cynocephalo (k) duodecies per singulos dies æquis observatis temporis interstitiis mingente; ex quo succurrit Trismegistro, ut diem in 12. horas distingueret. Trismegistrum hunc paulò Moysè recentiore statuunt (l). Hæc de horologiis; & horarum antiquitate occurrunt, quamquam sicut antiquissima non ita planè certissima videntur.

Nihil satis expressum de horologiis apud Homerum, in cujus tamen Odysea duo recurrunt verus, qui de horologiis explicari posse videntur (m): *Insula quadam Syria vocatur, scubi audis, Ortygia desuper, ubi mutationes Solis*. Hæc Insula una est ex Cycladibus, ubi, si fides sit veteri cuidam Scholiastæ, spelunca erat satis opportunè accedentem, & recedentem ad nostrum Meridianum Solem demonstrans. Sunt inter Eruditos qui suspicantur, Poetam eo loci sermonem habere de horologio Solari; & Diogenes Laertius in vita Pherecydis Philosophi author est, mansisse etiam suâ ætate in Insula Syro Solare horologium ejusdem Philosophi (n). Hoc autem Pherecydis horologium ipsissimum esse Homericum quidam suspicantur, quod scilicet Philosophus ille si vè restituerit, si vè perfecit; quæ si vera sint, usum horologiorum in Græcia ipsâ belli Trojani ætate demonstrant. Sed nihil certi statuendum ex ambiguo testimonio; quare solidius aliquid quærendum.

Herodotus affirmat (o), invaluisse apud Græcos morem horologiorum Solarium, & Styliorum ex Babyloniis deductum; ipsorumque Græcorum confessione Anaximander horas distinguit, atque horologia Solaria in Græciam invexit (p). Fallitur autem Plinius, cum ejus rei honorem Anaximæni tribuit. Emortualem Anaximandri annum Uferius componit cum A. M. 3457. premente jam captivitate Babylonicâ, & sub Cyro. Porro Philosophus iste ex itinere in Chaldæam potuit horologiorum rationem didicisse.

Ex eodem, quantum conjicimus, fonte derivatum creditur ab Achaz horologium, de quo nunc sermo; docente enim Scripturâ scimus, satis inter illum & Theglathalassarem Regem Assyriæ convenisse, quem postremum Regem in auxilium alter adscivit contra irruptionem Regis Syriæ, & Samaritæ, ejus religionem adoptavit ad eum, ut Aram Damascenæ similem, (quam ipse Achaz invensum Regem conveniens spectaverat) Jerosolymæ erigendam curaret. Horologiorum Solarium inventio nova erat tum temporis, & utilis; quare eam libens occasionem accepit Achaz, ut simile procuraret in palatio suo Jerosolymæ. Nonnisi autem te-

i Vide, si placet *Diod. l. 1. pag. 61. & Strab.*

k Tull. apud *Victorin. & Macrobio cita. l. 1. cap. 21.*

l *Marib. Sac. 10. Can. Egypt. pag. 241. Edit. Lypf. 1676.*

m *Odiss. O. V. 402.*

n *Diogen. in Pherec.*

o *L. 2. cap. 109.*

p *Laert. l. 2.*

merè certi aliquid de ejus figura affirmetur; verum cum Scriptura constanter voce *Maulot*, quæ gradus sonat, utatur, quantum assequimur conjecturâ, facile credimus, nihil habuisse horologium illud similitudinis cum Græcorum, & Romanorum, ac facile concavam quamdam spheram retulisse, quemadmodum Græca illa *Scaphe* appellata.

Rudis primùm horologiorum ars perfici paulatim, ac successivè cepit. Ita quæ primùm diurnas tantùm horas distinguebant horologia, in usum deinde noctis etiam fabricata sunt, ut de Platonis horologio Athenæus l. 4. animadvertit. Facile nocturna hæc Clepsydæ erant, si vè horologia arenaria. Describit Poeta quidam Græcus (g) Philosophum geronem, & avarum subinde ampullam quamdam oleo plenam sollicitè spectantem, ac si horologium portaret. Scipio Nasica (r) Clepsydram dedicavit sub tecto A. U. C. 595. cum ad id usque Populus Romanus in nocturnis, diurnisque horis, cum Sol non appareret, incertus vagaretur. Apud Vitruvium l. 9. cap. 9. fusius agitur de horologiis Solaribus, & Clepsydris.

Ante horologia distinguendo tempore pedes serviebant, unusquisque enim umbram sui corporis dimetiebatur; qui planè usus diutius mansit ruri, quemadmodum ex Paladio, Authore secundi sæculi, intelligimus, apud quem singuli duodecim libri *de rusticâ* clauduntur cum mensura Solis singulorum mensium, quæ horas ejusdem mensis pedum dimensione distingueret. Eadem occurrunt in tractatu de horologiis inter Opera Bedæ Venerabilis. Varia est quidem corporum mensura, sed tamen nihil ex eo incommodi in horarum æqualitate, cum pedum mensura plerumque corporis habitudinem sequatur. Computabatur umbra usque ad 20. pedes, atque horæ conveniendi cum amicis, horæ prandii &c. ad talem pedem destinabantur, quemadmodum apud nos ad talem horam certæ quædam res peragendæ constituuntur. Vir quidam ad prandium invitatus ad 12. pedes, cum nocte intempestâ è lecto surrexisset, ad lunæ micantis fulgorem, (Solem ratur) umbram dimensus, conditam pedum mensuram deprehendit, quare statim ad prandium ante exortum Solis in amici domum convolvit (s).

g *Ratio apud Casaub. in Athenæum l. 4. cap. 17. r Plin. l. 7. cap. 60.*

# IN DUOS LIBROS PARALIPOMENON PROLEGOMENON.

**G** Eminos Paralipomenon Libros unâ contextus serie iungebant olim Hebræi (a); hodie in Bibliis ad suum usum pro nostro more distinguunt; facile ne usum Concordantiarum, quas à Latinis acceperunt, sibi interdican. Totum Opus inferunt: *Verba dierum* (b), si vè Annales, veteres illas Ephemerides sapius in Libris Regum laudatas spectantes: *Nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum?* Falluntur illi tamen, siquidem veteres illos Commentarios Regum Juda & Israel cum Paralipomenis confundendos censuerint; sæpè enim in Paralipomenis (c) ad eosdem Annales Lectores remittuntur; quos fusius historias retulisse, & alia plura, frustra in Paralipomenis quærenda, continuasse constat. Nos Græco vocabulo *Paralipomena* appellamus, nempe *prætermissa*; est enim Opus veluti cæteris Scripturæ Libris adjectum supplementum, plura continens in aliis omiſsa. Sed, ut infra demonstrabimus, longè alius fuit Authoris hujus Libri scopus, quam ut cæteris S. Scripturæ Libris supplementum scriberet.

Quis potissimum Opus adornaverit, incertum. Sunt qui eidem Authori ac Libros Regum tribuerint, cum & eosdem *Dissert. Calmet. Tom. I.*

utrumque Annales laudet, & easdem non raro phrasas retineat. Verum quid unum eodemque Authorem induxerit, ut easdem utrumque historias, & isdem sæpè verbis recitaret, ac vicissim in adscriptionibus temporum, in rerum circumstantiis, genealogiis, atque nominibus propriis variaret? Idemne Scriptor negotium nobis facessere per ludum suscepisset, nostrum torquens ingenium, utpotè quibus nulla suppeteret ratio, cur tantum in utroque Opere variare maluisset? Cum interim si duos Authores, ambos suo Marte scribentes, producamus, planum sit cur alter fusius, alter strictius historiam referat; cur insuper alter alteram chronologiam pro varia ducendorum annorum æra sine errati suspitione sequatur.

Judæi, & Interpretes nostrates ab Esdra scriptum Librum arbitrantur, cum nimirum captivitate solutâ (d), dirigentibus Aggeo & Zacharia, Operi scribendo orium nactus est. Favet huic opinioni, 1. Quod unicus Authoris opus esse stili equabilitas, perpetua contextus series, historiarum fusius antè expositarum identidem subiectæ complexionis, & appositæ ad res animadversiones satis demonstrant. 2. Post captivitatem scriptum arguit edictum Cyri de Judæis in possessionem Jerusalem, solutâ tandem captivitate, immittendis (e); ge-

a *Hieron. ad Dominion. & Regatian.*

b *Dibre Haganims.*

c *Par. 16. 2. & 24. 27. & 25. 20. & 27. 27. & 28. 26. & 32. 32. & 33. 26. & 35. 27.*

s *Menander.*

d *Lyran. in 1. Par. 7. 12.*

e *2. Par. ult. F f nea-*

g *Ufer. ad A. Mund. 2391. & Jaquelot. Dissert. 1. in Existentiâ Dei, c. 16. pag. 190. 191.*

h *Apud Joseph. l. 2. contra Apion.*

f 1. Par. 3. 19. &c.

g 1. Par. 2.

h 2. Par. 25. 25.

i Kepbore, crater, 1. Esdr. 1. 10. & 8. 27. & 1. Par. 28. 17. Adar. kemoni, dramma 1. Par. 20. 17. & 1. Esdr. 2. 69. & 2. Esdr. 7. 70. raphodolb, raves 2. Par. 2. 16. merkalaia, collectores 4. Reg. 27. 4.

nealogia à Davide adusque Zorobabelem, immò & infra, si Vulgatè Textum sequamur [f], deducta. Porro Zorobabelem in Judæam venisse post factam à Cyro redeundi copiam quis nesciat? Mentio quin etiam 1. Par. 9. inducitur de primis Jerosolymè incolis; imò & de aliis (g), solutâ captivitate. Prosequitur etiam Author rerum Judaicarum labentium sub postremis Regibus Juda historiam, universum Judam Josè funus plorasse dicit; qua occasione scripte Jeremiè lamentationes in ore omnium Cantorum & Cantatricum, ait, versantur (h). Jeremias verò Templi everfionem, & populi captivitate oculatus testis spectavit. 3. Plures ibidem voces occurrunt, sive recentius quam ante captivitate investa, vel saltem frustra in Libris ante eandem captivitate scriptis quaerenda (i), cum vicissim plura Esdræ peculiaria sive in vocibus, sive in syntaxi occurrant.

Hæc quidem pro Esdra; nunc verò que contra ipsum promamus. Prosequitur Author genealogiam Zorobabelis ab eo viro adusque duodecimam generationem. Zorobabel, Ananias, Phaltias, Hielcias, Raphaia, Arnan, Obdia, Sechenias, Semeias, Naaria, Elioenai, Oduia. Hæc sãdè spatium, ut minus, 300. annorum extentia, satis demonstrant Operis Authorem multo quam Zorobabelem ipsumque adeò Esdræ, recentiore fuisse; nisi ab altero scripto jamdudum Operi eandem genealogiam adjectam maluerimus.

Hiscæ tamen facillè reponere possumus, simulque repugnantia omnia conciliare. 1. Quæcumque in medium adducta sunt ad everendam sententiam, qua Libri Regum & Paralipomenon uni eidemque Scriptori tribuuntur, promptè evanescent, si quis statuatur Esdræ ex pluribus, quos ad manus habebat, Commentariis quadam in suum Opus, ne immutatâ quidem verborum phrasi, inseruisse; nihil interim curantem repugnantia inter se conciliare, nihil repetitas historias monentem, nihil unius ejusdemque narrationem modò fusiùs, modò contractius repetitam.

2. Quæcumque adversus Esdræ congeruntur, illa sanè intentum evincerent, si Opus, quale nos habemus, ab Esdra digestum constituitur. Nulla tamen sunt, si fortè admittamus, post ejus viri obitum quædam alienâ manu Operi accessisse, quod eo consilio fieri poterat, quo ipse pariter Esdræ Operi ex pluribus aliis Commentariis à se digesto quedam è suo Marte censuit adjicienda. Non est igitur, cur temerè ab ea sententia recedamus, quæ unum eundemque Esdræ utriusque Operis, Regum & Paralipomenon habet Authorem.

Porro ejus Libri Scriptori non ætatis sue historiam digessit, sed ab aliis jam memoriæ prodita in unam veluti summam colligebat. Post captivitate vixisse, supra jam animadvertimus; loquentem tamen veluti si multo captivitate ipsam præcessisset, statim adductis argumentis demonstrabimus. Commentariorum fidem, quorum ope utitur, vel ipsis eorum verbis addu-

dis, observat; & quanquam alioqui ætati, qua scribebat, verba illa repugnarent, maluit tamen singula exscribere, ut veritati potius, quam aliquibus demptis filo serviret. Vel ipsas interdum genealogias parum in speciem inter se constantes refert, quas ne conciliare quidem, imò nec monere quidem eâ de re Lectores audeat; quod illi quidem, extantibus adhuc veteribus monumentis, tam pronum fuisset, quam nobis post tot sæculorum oblivionem, & veterum monumentorum defectum arduum. Ubique verò sinceritatis, fidelitatis, & religionis ejus Scriptoris illustria exhibentur documenta; historiae suæ veritatem ex limpidiſſimis fontibus deductam illum servat, ut nulla inde suspicio in illum creati jure meritoque poterit. Ætate suâ adhuc in Sanctuario cum vestibus Arcam servari, quemadmodum jam sub Salomone, perhibuit (\*); constat autem post captivitate Arcam sive profus in Templo non fuisse, sive aliter ac olim sub Salomone positam.

Narrat 1. Par. 4. 41. filios Simeon, depulsis posteris Cham, eorum regionem occupasse, quam ad ætatem usque suam tenebant; & ibid. 43. refert expeditionem ejus Tribus in Amalecitas, quam sub Ezechia susceptam scimus. Porro, ait Author, devictam olim regionem illam hodie etiam possident; nempe antequam Salmansar Simeonem unâ cum aliis Tribubus in captivitate traderet. Quanquam eâ in re dubia quadam occurrunt, nobis in Commentariis ad examen revocanda. Deinde proximè succedenti capite (k), de captivitate decem Tribuum agitur, quam sua usque ætate perseverare idem Author testatur. Cùm 2. Par. 8. 8. de subjectis à Salomone Chananæis illis, quibus Israelitæ pepercant, sermo est, ait idem Scriptori: Subjugavit illos Salomon in tributarios usque in diem hanc. Stabat igitur ejus ætate Regnum Juda. Tandem 2. Par. 21. 10. excussum memorat ab Idumæis. Hebræorum jugum; nec illos, ait, usque ad hanc diem Dominos agnoscunt; quasi scilicet eâ ætate adhuc Reges Juda Regnum obtinerent. Porro ex deductis huc usque satis intelligimus, scripsisse quidem Authorem post captivitate, sed non rarò verba Authorum diu antea scribentium in suum Commentarium derivasse.

Potissimus verò ipsius scopus non eò spectat, ut supplementum cæterorum Librorum Sacræ Scripturæ daret. Fusè repetit historias antea descriptas; quin rara admodum nova recenset, & plura vicissim omittit, quorum alioqui cognitio maximi esset ad historiam sacram momenti. 2. Neque Annales scribere meditabatur, quibus rerum gestarum historia fusiùs pariter & exactius unâ contextûs serie, quam in historiis præcedentibus, exhiberetur, adjectâ insuper certiori temporum, atque perpetuâ adscriptione. Nihil enim in toto Opere apparet, quod Authoris in ea re consilium demonstraret. 3. Neque id præ oculis habuisse videtur, eo uno in Opere cæteros Historicos Veteris Testamenti Libros

\* 2. Par. 5. 9. & 3. Reg. 8. 9.

k 1. Par. 5. 22. 26.

in epitomen complecti voluisse; cum plurima sileat in Moysè, Josue, Judicibus, & in Libris Regum relata. Historiam suam potissimum ex obitu Saulis deducit; plura enim, nec minoris sanè momenti, ad Regnum Davidis spectantia omittit; ut Principis cum Bethsabee crimen, & quæ deinde sequuta est calamitatem; incestum Amonis cum Thamar, totamque Absalomi historiam. Rarus apud illum sermo de rebus Regum Israel, cæterisque ad illud Regnum pertinentibus; silentio enim obvolvitur totam ejus rei historiam post captum Amasiam Regem Juda (l) per Joas Regem Israel. Profectò si Libros Regum in epitomen redigere meditaretur, debuerat saltem non omisisse postrema Regum Israel bella, quæ deinde captivitas decem Tribuum consequuta est. 4. Neque id voluisse Author creditur, ut in primis Operis capitibus exactas aliquas genealogias deduceret; bis genealogiam Juda describit, nempe in cap. 2. & cap. 4. ubi per duos velut ramos Pharez & Sela eandem deducit. Ut quid hæc, si ad Davidem tantummodo pertigisse volebat? Ut quid nomina Urbium & locorum Tribus Juda tam exactè describit? Quid hanc genealogiam per duos ramos ad usque captivitate non digerit? Semel etiam & iterum genealogiam Benjamin (m), sicut & Saul (n), repetit, variam utrumque; nihilque magis studuisse videtur in ea re, quam ut sedem & sortem singulorum exactè describeret.

l 1. Par. 25. 17. &c.

m 1. Par. 7. 8. n 1. Par. 8. 9.

o Vide 1. Par. 2. 54.

p 2. Esdr. 12. 22. 25.

quantâ olim sedulitate, & curâ veteres Hebræi Republicæ suæ vetera monumenta servarent, documentum. Qua pariter conjecturâ intelligimus, quantum eorum historia cæteris præstaret, si tanta Scriptorum lux in fera tandem ætate non occidisset. Laudantur sæpe in Paralipomenis (q) Libri Juda & Israel, quos Commentarios credimus vel Ephemerides, memoriæ rerum in Republica sive Religione gestarum conservandæ. Scribebant autem Commentarios istos non conducti mercede Scriptores, qui decora tantum & gloriosa, quæque maxime Principi placerent in Annales referrent; plerumque enim id muneris agebant Prophetæ viri doctissimi equè & sapientissimi, spectatè pietatis, & fidei, qui nihil sive assentationi, sive quaestui dari unquam tolerassent.

q 2. Par. 16. 2. & 24. 27. & 24. 26. & 27. 27. &c.

Sub Davide cæterisque deinde Regibus Juda, semper Prophetæ Annales de rebus gestis ætatis suæ conficiendos suscipiebant. Regni Davidis historiam scriptis mandarunt Samuel, Nathan, & Gad (r). Salomonis historia debetur Prophetis Nathan, Gad, Addo, & Ahia (s). Adde pariter & Semeias historiam Roboami dederunt (t), è quibus primus etiam Abia historiam profectus est (u). Hanani sub Asa id muneris exercebat (x), ejusque filius Jehu & Josaphat & Historiam Regum Judæ dirigebat, id expressè tradente Scripturâ 2. Par. 20. 34. Reliqua gestorum Josaphat scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, qua digessit in Libros Regum Israel. Sub eodem Josaphat agebant Historicos Prophetæ Eliezer (y), & Jahaziel (z). Isaias res gestas sub Ozia primam (a), deinde sub Ezechia [ b ] ad posteros transmisit. Idem publicis negociis admotus est sub Achaz, cujus totam formè historiam in Libro oraculorum suorum scriptam reliquit (c). Osi Commentarios sub Manasse scribebat (d), & Jeremias sub Osiâ ejusque filiis Regum Judæ postremis (e). En series Prophetarum Historias & Annales Regni Juda scribentium.

r 1. Par. 29. 29. s 2. Par. 9. 29. t 2. Par. 12. 25. u 2. Par. 13. 22. x 2. Par. 16. 7. y 2. Par. 20. 37. z 2. Par. 20. 14. a 2. Par. 26. 22. b 2. Par. 32. 32. c Isai. 7. 8. 9. d 2. Par. 33. 19. e Jerem. 17. & sequ. ferè usque ad finem, & 2. Par. 35. 25.

Regnum Israel, quanquam alioqui schismate à vera Ecclesia in Regno Juda avulsam, non ita tamen Deum expertum est adversarium, quin viros probos quamplures inter malos longè plurimos servaret. Missi sæpe ad illud Prophetæ, ut veros Israelitas ad officium revocarent; ut cogitanti olim Eliæ, unum se Prophetam Domini vivere in medio Israelis, Deus revelaret servasse se turbam 7000. hominum, quæ fidem suam cultu Baal non violasset (f). Ahias Silonites sub Jeroboamo filio Nabat (g), & Jehu filius Hanani sub Baasa paruit (h). Elias aliique Prophetæ permulti ad Regnum Achab pertinent continuato Prophetæ munere sub Eliseo, & Jona, aliisque. Oded Prophetam agebat sub Phacee (i) in urbe Samaria; quos omnes quamquam nullo Scripturæ testimonio scripsisse temporum suorum historias noverimus, veròsimili tamen conjecturâ autumamus, quemadmodum in Regno Juda, ita etiam in Regno